



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

pus Toletanus, Willelmus Archiepiscopus Tyri, Otto Frisingensis Archiepiscopus, Simeon Patriarcha Hierosolymitanus; qui supplices litteras scripsit ad Urbanum II. Daibertus Patriarcha Hierosolymitanus, Ludovicus Patriarcha Aquileiensis, aliique multi.

Ex viris illustribus Ecclesiasticis, Petrus Eremita prodromus Belli Sacri, missus ab Urbano II. per Europam ut Bellum Sacrum, ejus nomine prædicaret: Sanctus Bernardus, sui sæculi Thaumaturgus: Joannes Capistranus Minorita, aliique plurimi; quibus addenda Sancta Virgo Catharina Senensis, quæ summos Pontifices Gregorium XI. & Urbanum VI. instanter ad Bellum Sacrum excitavit.

I I I.

Heroës, Principes, Reges, & Imperatores Christiani, qui pro gloriâ Crucis militaverunt contra infideles, plurimi sunt; paucos seligo ex illustrioribus.

Georgius Castriotus, dictus à Turcis Scanderbegius, seu Alexander

magnus, Joannes Hunniades, dictus Fulmineus, Joannes Tarnovius, Boëmundus, & Rogerius Fratres, Siciliae, Apuliae, & Cantabriae Principes; Tancredus Filius Rogerii; Dux Vaivoda, Philippus Comes Flandriae, Catalacus Dux exercituum Imperatoris, Henricus Dux Noricorum, Maximilianus Bavarus Domitor Hæreticorum, Joannes Austriacus, & multi alii.

Godefridus Bullionius, Dux Lotharingiae, captâ Hierosolymâ in primâ expeditione, sub Urbano II. primus Rex Christianus creatus est, cui successit in ejus regno Balduinus Frater. Ex Regibus Poloniae multi de Turcis insignes victorias reportarunt; inter quos Ladeflaus, Stephanus, Boleslaus, Sigismundus III. Reges Poloniae: nuper Joannes III. Rex Polonorum, venit, vidit, vicit, ante Viennam Austriae, quam à ducentis millibus Turcarum undique circumvallatam, & coangustatam, jamque deditioxi proximam; universo hostium exercitu profligato liberavit, quâ in expeditione Dux Bavarus, Dux Lo-

tharingus, & Comes Staremburgius,
præclaram invicti animi laudem, &
gloriam è prælio reportarunt.

Ex Regibus Bohemiæ Boleslaus, &
Castellæ Rex Alphonsus; item Fer-
dinandus Rex Aragoniæ, Philippus
II. Rex Hispaniarum, gloria & ho-
nore immortalis digni sunt.

Ex Regibus Angliæ Richardus,
dictus cor Leonis, Saladini magni do-
mitor, Turcarum terror. Notandum
est multos Principes ac Reges infide-
les foedus iniisse cum Christianis, con-
tra communem omnium Principum
hostem; qui sese, Regem Regum,
& magnum Dominum superbè jactat:
contra quem excitandi sunt, in primis
Reges Persarum, ut fecerunt olim
summi Pontifices, & Christiani Prin-
cipes, qui cum Usu Cassano Rege Per-
sarum, & Agaba Imperatore Tarta-
rorum, multisque aliis, foedus inie-
runt; immò ab hinc triginta quinque,
aut circiter annis, Rex Persarum,
ultra obtulit sese Innocentio X. ad
commune Bellum Turco inferendum,
cum Principibus Christianis.